



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De aliis signis Christianæ Ecclesiæ videlicet sacramentis 29

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Tertia Pars huius vndeclimæ Accusationis.

De aliis signis Christianæ Ecclesiæ videlicet Sacramentis.

De septenario numero Sacramentorum.

De Sacramentis in genere.

C A P . XXX.



ERTIA principalis Accusatio in hoc articulo de Ecclesia, & unitate Ecclesiæ, est de secunda nota Ecclesiarum Christi, nempe de Sacramentis. Et hic quatuor reprehendunt Aduersarij. Primum est, Librum Reformationis septenarium numerum sacramentorum negligere, & ponere tantum binarium, reliquis vero quinque sacramentis derogare, quod à Domino instituta & præcepta sint. Alterum, Quod Liber extremamunctionem penitus abradat. Tertium, Quod neget ordinationem esse opus solius episcopi. Quartum, quod vniuersalem formam laudabiliter hoc usque in administratione sacramentorum seruatam mutet in vniuersum.

Responso.

Primum omnium ponunt Aduersarij: in Catholica Ecclesia ad hæc usque tempora de sacramentis traditum fuisse, quod sint inuisibilis gratiæ visibilia signa, a Christo aut Apostolis ex ipsius mandato instituta, quodque sint eorum sepius præcipua, &c. Librum vero ponere tantum duo.

Ad hoc responderetur: Quantum attinet ad descriptionem sacramentorum, quam adducunt: idem continetur in Libro, quod in descriptione, idque copiose tractatum, & clare expressum habemus mandatum Domini. Sed de hoc paulo post dicendum erit.

Septenarium vero Sacramentorum numerum Scriptura nullibi docet, quemadmodum nec antiqui patres. Quod vero Aduersarij nituntur eum quibusdam scripturis probare, inspiciantur illæ, ac simul tenetur Aduersariorum definitio, qua dicunt, Sacraenta esse inuisibilis gratiæ visibilia signa, ab ipso Domino instituta, & perspicuum erit, Scripturam de duobus tantum visibilibus signis gratiæ Dei, & beatæ communicationis Christi, testari, nempe quæ Dominus ipse in Evangelio Ecclesiæ suæ mandauit & instituit, quæ sunt, sacer Baptismus, & Cœna Domini. Quæ duo etiam D. Augustinus sola enumerat, quando loquitur de signis noui Testamenti, lib. de doctrina Christiana 3. cap. 9. Similiter faciunt & alij Patres.

De Impositione manuum apud Confirmationem, Absolutionem,
& Ordinationem.

C A P . XXX.



Impositione manuum Dominus ipse quidem usurpauit, & Apostoli eius, ad nihil vero adhibendam percepérunt, sicut Baptismus & S. Cœna. Verisimile quidem est Apostolos hoc signum sine mandato Domini, vel ore, vel arcano quodam instinctu.